

qualis vulgo statuitur, afficiant. Scio dicturum qui hæc legerit mentem esse cum corpore in unam personam conjunctam, ideoque corporis motibus necessario percipi. De re ipsa hic philosophari nolo. Sed quemadmodum mentes immateriales Deus ita cum corporibus conjunxit ut motibus eorum afficerentur, sic in loco pœnarum novis legibus naturis rerum impositis efficere posset ut spiritus igne conspicuo urerentur. » Hoc animæ nostræ exemplum late etiam prosequitur inter alios auctor Reflectionum in Histor. Judæorum tom. III, pag. 326.

Sed neque sanctus ipse Augustinus illud prætermisit in lib. XXI, de Civit. Dei, cap. 10, ubi quæstionem hæc proponit, inquit: « Hic occurrit querere si non erit ignis incorporalis, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? Idem quippe ignis erit, scilicet hominum attributus, et dæmonum, dicente Christo: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* » Et in medium prolata sententia tum eorum qui dæmonibus ærea quædam corpora tribuebant, tum aliorum qui eos omnis materiæ expertes faciebant, subdit, juxta horum decretum: « Non est de hac re laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? » Cæterum modi plurimi a theologis nostratibus assignari solent ad explicandum actionem ignis corporei in substantias spirituales, qui legi possunt apud Petavium lib. III, de Angel.; Suaresium item de Angelis, Sotum, et Estium in 4 sentent. dist. 50, et alios; neque enim necessarium judico huc eos derivare.

Argumentum tertio loco positum accuratissime expendit idem S. Augustinus disputans adversus gentiles, qui illud in primis opponebant: in eoque refellendo magnam partem insumit lib. XXI, de Civitate Dei. Quæ fusius disserit ille, in brevem summam redacta hæc sunt. Cap. 2 ostendit corpora in ustione ignis esse posse perpetua, idque declarat exemplo aliquorum animalium, quæ in mediis ignibus vivere perhibebantur. Hinc cap. 3, probat « consequens non esse ut corporeum dolorem necessario sequatur carnis interitus. Id quidem verum est, docet, de corpore in hoc corruptibili statu posito: quoniam si est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atque discedat: quoniam, et ipsa compago membrorum, atque vitalium sic infirma est, ut eam vim, quæ magnum, vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima, et eo connectetur modo ut illud vinculum, sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiam si caro nunc nulla est, quæ sensum

doloris perpeti possit, mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro qualis non est. » Tum, cap. 4, id pluribus exemplis naturalibus confirmat. Et cap. 5 decernit quod, tametsi modum ignoremus quo ignis corpora sine eorum consumptione comburat, non ideo hoc in dubium vocandum esse, quandoquidem multa sunt in rebus naturalibus certissima de quibus tamen reddi ratio nulla potest, sive rationem et modum ignoramus unde consistere valeant: quorum nonnulla profert. Et soluta, cap. 6, quadam objectiuncula quam inde gentiles conficere poterant, cap. 7 et 8 concludit: Omnipotentiam Dei « qui fecit mundum in celo, in terra, in aere, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio majus et excellentius etiam ipse mundus miraculum, posse facere ut et resurgant corpora mortuorum, et igne æterno crucientur corpora damnatorum. » Hæc Augustinus.

Mihi vero rem hæc consideranti difficultatis propositæ solutionem facillime explicari ac pene oculis subjici videtur, si id ponamus, in quo jam philosophi omnes, aut ferme omnes, consentiunt, calorem scilicet aut ardorem vehementi concitatoque partium corporis motu constare vel produci, ipsumque ignem corpora calefacere ac comburere, cum in ea imprimis hujusmodi motum vehementem et concitatum (vibrationis, aut vertiginis, vel expansionis sit, parum curo). Quod igitur pleraque corpora ita agitata tandem consumantur, id causæ habet quod ex eo motu vehementi separantur invicem, ac diffluant exiguæ primum, aliæque deinde resolutæ partes, quæ corpora ipsa componunt. Quare si nullas partes dissolvi aut a corpore separari contigerit, calidum illud, ignitumve inter flammam consistet citra ullum interitum aut consumptionem: quemadmodum etiam naturaliter hoc accidere in quibusdam corporibus experientia deprehendimus. Manifestum est enim aurum, v. g., in ardenti fornace vexatum liquatumque, insigniter calefcere, quin tamen absumatur aut quidpiam primævi ponderis amittat, quia videlicet per agitationem et motum nihil a tota mole sejungitur aut evaporatur. Quod ergo naturaliter contingit in auro intelligi potest ac debet divina virtute futurum in humanis corporibus, ut nova nimirum in ipsis lege constituta, tartarei ignis actione vehementissime concutiantur, et agitentur fibræ eorum ac partes quin tamen separantur aut ipsarum textura dissolvatur.

Id evidentius apparet in systemate causarum occasionalium, quod multis philosophis plurimum ardidit: juxta quod rem ita declarat quidam ex Anglia scriptor agens de pari argumento, seu de corporibus per miraculum in igne sine læsione persistentibus: « Ex hujus legis (*secundæ nempe ab ipso positæ circa motum*) suspensione corpus humanum, rubus, vel aliquid quodvis inflammabile corpus, etiam si ardentissimo igne undique cingatur, poterunt tamen

non comburi, aut in cineres reduci, aut si forte flammam, uti rubus, capiant, coacervatis in vorticem flammis, poterunt non consumi. Ignis enim particulæ non comburunt ex innata ulla virtute, aut insito impetu, ut supra vidimus. Sed quia supremus motus Auctor voluit ut ex occasione hujus impetus ipse dissolvat seu comburat projecta in ignem corpora, velle quoque poterit ut eadem non dissolvantur, etiam si rapidissimis ignearum scintillarum cohortibus vorticoso impetu irruentibus impetantur. » Ac subinde ostendit etiam quomodo per divinam voluntatem in æternum aliquis vivere valeat, inquit: « possunt enim omnes corporis partes in eodem situ semper retineri: possunt quoque omnes elementares particulæ a dissolutione cohiberi: sanguis, et alii humores etiam si perenni et intestino motu intra se agitentur, impediri possunt quominus vanescant, seu quominus principia ipsorum diffingantur, aut eorumdem abradantur anguli, quominus eadem particulæ per habitum corporis non exhalent, et reparatione non egeant. Brevi, tota quanta nunc est corporis materia cum eadem figura, situ, numero, fabrica, et usu partium in statu in quo nunc est in perpetuum conservari potest, ac proinde corporis vita in æternum perdurare poterit. »

Ad postremum tandem argumentum ita respondet S. Gregorius Magnus: « Sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus, ita illis in uno igne non unus est modus incendii: quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. »

Verum hæc responsio moralem potius, sive meritoriam, quam physicam causam declarat, cur non una eademque vi, et impressione damnatos omnes inferni ignis excruciet. Quare aptius, ut mihi videtur, dicendum ignem illum corporeum, aut juxta plures causas esse mere occasionalem, aut juxta alios instrumentariam divinæ justitiæ vindicis, ac tanquam Dei instrumentum, vim et actionem suam in damnatos imprimere; atque adeo a causa principe assumi posse ad majus minusve tormentum inferendum. Deus enim, qui demeritorum inæqualitatem perfecte cognoscit, ita ignem illum movet, et applicat, ut acrius in alios, in alios autem mitius operetur. Quod nemini mirum videri debet, cum et inter nos conspicua sit hujusce diversæ actionis experientia: videmus enim a voluntate unum idemque instrumentum adhibentis sæpe pendere, quod majorem minoremve ictum imprimat aut percussionem. De pœnarum æternitate agemus alio in loco.

Cum in Scripturis celebris sit sententia de inferorum portis, paucis hic explicamus quid nomine portæ inferorum veniat. Rex Ezechias in suo cantico depingens statum quo redactus esset in angustia morbi sui,

ita rem explicat: *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Jesus Christus, Matth. XVI, 18, Ecclesiæ suæ spondet: *Portæ inferi non prævalerunt adversus eam.* Qua phrasi idem facile innuitur, ac in Psalm. IX, 13, illud: *Qui exaltas me de portis mortis;* et Psalm. CVI, 19: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis;* et Sap. XVI, 13: *Deducis ad portas mortis.* Mortem, sepulcrum, infernos exhibebant Hebræi ceu regionem quo ex universo orbe homines, novam alteram acturi vitam, confluerent. Deprompsimus alibi ideam qua illi tenebantur, de sede veterum gigantum, qui reipublicæ speciem quamdam sub terram componebant. Pares recurrunt phrases apud profanos, e paribus forte opinionibus acceptæ. Achilles, apud Homerum Iliad. XI, 6, profitetur odio habere se tanquam portas mortis illum qui ore aliud, aliud corde præfert.

Instruitur infernus juxta Mahometanos septem portis, singulis vero illis suum est peculiare supplicium. Prior aditus ille est ubi Musulmani rei commissi criminis pœnas dabunt; secundus Christianis torquentis destinatur; tertius Judæis; quartus Sæbiis; quintus Magis, vel Guerbis cultoribus ignis, sextus paganis et idololâtris; septimus, qui profundissima abyssus, locus est hypocritarum, exteriorem tantum personam Religionis simulantium. Alii nomine septem illarum portarum designata credunt septem peccata capitalia, alii septem potissima membra hominis, quæ sunt ad peccatum instrumenta.

Habes itaque juxta superiorem expositionem idem esse portas inferi, adversus aliquem prævalere non posse, ac interitui, destructioni, et morti obnoxium illum non esse, cum allegoria ista nomine portæ mortis et inferi veluti ingressum designari videatur animæ in locum mortuorum, ac ejusdem ex hac vita transitum. Ex quo intelliges quam apte Christus Dominus eadem usus sit allegoria in citato Matthæi capite, ut innueret Ecclesiam suam supra Petrum fundatam perpetuam ac indefectibilem esse. Hac attentata allegoria Patres per inferi portas errores et hæresiarchas intellexerunt, per quos spiritus nequitie Ecclesiam Christi dilacerare atque destruere conatur. Hinc S. Epiphanius in Ancor. num. 9, *Portæ inferi*, inquit, *sunt hereses et hæresiarchæ.* Et in Epistola encyclica octavæ generalis synodi, post relata verba « *Portæ inferi non prævalerunt* » hæc habentur: « Multoties alias inferi portas apertas contra Ecclesiam, et devorare eam tentantes obstruxit, contrivit, atque destruxit, hæreticas videlicet opiniones et iniqua conamina quæ in præteritis generationibus per sua tempora sunt exorta, sed nihilominus, et instantibus temporibus, inferno proprio os aperiente et dilatante, protector factus est Christus, » etc.

Responsio auctoris.

In hoc articulo Rom. Theologus, n. 6, hæc habet: « Venio nunc ad quatuor illa infera »

rum loca expendenda quæ Lucius noster num. 1 designat. At hæc distinctio locorum, non adeo facile admittenda videtur. Quamobrem non ea confidentia exponenda videtur, ac lectoribus proponenda distinctio illa de quatuor inferorum partibus, qua Lucius noster eam ex auctore Theatri vitæ humanæ descripsit et inculcavit. » Sed distinctionem illam quatuor inferorum partium descripsi ego et inculcavi, confusus oraculis Clement. VIII et Bened. XIV: qui in constitut. de doctrina Christiana populis tradenda, incip.: *Et si minime*, § 17, expresse habet: « Clementis Papæ VIII aliorumque prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hortamur in Domino, et enixe commendamus, in doctrina Christiana tradenda, adhiberi libellum de Clementis ejusdem mandato a cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata congregatione diligenter examinatum et approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus idemque modus in docendo et discendo Christianam doctrinam ab omnibus teneretur. » Et in hoc libello, qui titulum præ se fert: *Dottrina Cristiana composta per ordine di N. S. Papa Clemente VIII, dal R. P. Roberto Bellarmino della Compagnia di Gesù, cardinale di S. Chiesa* in declaratione quinti articuli Symb. Apostol. sic præcise traditur: *Ma in questo profondo della terra vi son quattro come grandissime caverne: una per i dannati, che è la più profonda di tutte; così conviene che i superbi demoni e gli uomini loro seguaci stiano nel più basso luogo, e più lontano dal paradiso che si possa trovare. Nella seconda caverna, la quale è alquanto più alta, vi stano quelle anime che patiscono le pene del purgatorio; nella terza, che è anco più alta, vi sono quelle anime di quei fanciulli che sono morti senza battesimo, LE QUALI NON PATISCONO TORMENTI DI FUOCO, ma solo la privazione perpetua dell'eterna felicità: nella quarta, che è la più alta di tutte, stavano le anime de' patriarchi, profeti, ed altri santi, che erano morti prima della venuta di Cristo.* Unde videtur quod theologus noster, sicut suæ censuræ voluit supra in verb. *Capellanus in com.*, num 19, declarationem sacræ congregationis Concilii, ita hic etiam (ut critica oratio cresceret) voluerit ipsi subijcere adhuc ipsas pontificias sanctiones. *Et ecce plusquam Salomon hic*, Matth. XII, 42. Vide etiam ad rem S. Bonaventuram, a me allatum sub verb. *Peccatum*, num. 80, et S. Thomam, adductum in egregio Bullario præclarissimi ordinis Prædicatorum, tom. II, pag. 109; in Const. 3 Clem. V, incip. *Benedictus Deus*, sub num. 15, ubi sic expresse habetur: « Quadruplex autem est infernus (ut docet S. Thomas in 3, distinct. 22, quæst. 2, art. 1), damnatorum, scilicet puerorum limbus, purgandorum seu purgatorum, et sanctorum Patrum limbus, nempe sanctorum qui decesserunt ante Christi adventum. In primo sunt tria, scilicet tenebræ gratiæ, tenebræ gloriæ, et pœna sensus. In secundo sola duo prima.

In tertio tantum secundum et tertium. In quarto erat solummodo secundum. » Hinc colligitur ex S. Thoma quis ille sit *infernus*, in quem, ut loquitur diploma, « illorum animæ, qui in peccato mortali, vel cum solo originali decedunt, pœnis tamen disparibus. » Illi siquidem, qui in sola culpa originis sunt pœnam damni duntaxat luunt; Alii vero actuali peccato lethali coinquinati pœnas non solum *damni*, sed etiam *sensus* persolvunt.

ADDITIONES CASINENSES.

De Trajani ab inferno S. Gregorii precibus liberatione, Joannes Diaconus, lib. II de Vita S. Greg., cap. 44, hæc habet: Trajano quondam ad imminens belli procinctum festinanti, vidua quædam ei obviam procedens, flebiliterque narrans filium suum innocentem per vetitum nefas fuisse peremptum, homicidii ultionem instantissime efflagitabat. Cumque Trajanus respondisset, prælio confecto, se crimen vindicaturum, vidua ait: Si tu pugnando decedes, quis mihi justitiam redditurus sit? Cui Trajanus: Qui post me imperii habenas suscipiet delictum ulciscetur. Rursus vidua: Nonne satius tibi est ut tu mihi justitiam facias, sicque mercedem tuam recipias? Tunc Trajanus rationibus ac fletibus femine illius commotus, equo desiliens, crimen illico vindicandum curavit. Cujus præclari facinoris cum Gregorius Magnus per forum Trajani forte procedens meminisset, admiratione ac pietate erga clementissimum principem affectus, tandiu pro eo deflevit quousque responsum accepit se pro Trajano fuisse exauditum, videlicet pro illius liberatione ab inferno; ea tamen lege ut pro nullo ulterius pagano preces effunderet.

Hanc totam historiam, proindeque Trajani ab inferis liberationem, commentitiam esse, solidissimis argumentis demonstrare aggredimur.

Ac primum: si legem aliquam generalem a Deo constitutam ponamus, quæ ex sacris Scripturis vel traditione evidentissime innotescat, nullam ei exceptionem apponere fas est. Cum porro Deus legem constabilerit de æterna impiorum in sua nequitia decedentium damnatione, deque exclusione eorum qui baptismo tincti non fuerint e regno cœlorum: Matth. XXV, Joan. III; cumque ab hac lege concessam alicui immunitatem minime in sacra Scriptura vel traditione innuatur; imo Ecclesia nulli concessam vel concedendam apertissime contestatur, dum dicit: in inferno NULLA EST REDEMPTIO; ergo Trajani ex inferis liberationem commentitiam prorsus esse concludamus necesse est.

Quod vero Joannes Diaconus loc. cit. hujusmodi rem tradiderit, nihil nos movere debet. Primo, quod is scriptor trecentis annis post S. Gregorium vixerit; secundo, quod hanc narrationem, non ex probatis actis vitæ antedicti Pontificis quæ in Romanæ Ecclesiæ scriniis diligenter asservabantur, et IN QUIBUS ALTUM DE HOC FACTO SILENTIUM, hauserit; sed ex obscuris quarundam Eccle-

siarum Anglicanarum vel Saxoniarum monumentis, quibus hac in re Ecclesia Romana fidem denegabat suam, ut ipse profiteretur, hoc sane pacto: « Legitur penes easdem Anglorum ecclesias, etc.: et infra, sed cum de superioribus miraculis, Romanorum nemo sit qui dubitet, de hoc (de facto Trajani), quod apud Saxones legitur.... vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor non præsumeret pro pagano prorsus orare, » loc. cit. — Quæ cum ita sint, narrationem sic allatam floccificandam esse nemo non videt.

Sed quod maxime facti hujus falsitatem evincit, illud profecto est, Gregorium M. cum universa Ecclesia constantissime docuisse PœNAS INFERNI ETERNAS FORE, OMNIUM ET SINGULORUM DAMNATORUM RESPECTU. Et absque eo quod singulas hac de re ex ejus operibus sententias producamus, sequentem locum afferre satis sit: « Omnipotens Deus, quoniam pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum punitione in perpetuum non sedatur, » lib. XXXIV, Moral. cap. 16. Cumque hæc B. Gregorii mens fuerit, inversimile prorsus est quod pro liberatione Trajani ab inferno preces ad Deum effundere voluerit.

Minusque nos detinere debet auctoritas Damasceni, qui eadem de liberatione Trajani ab inferis asseruit, in sic dicta *Oratione pro fidelibus defunctis*. Nam, ut cursim notemus, Damascenum octavo sæculo, longe post S. Gregorium floruisse, illud porro animadvertendum dignum est, hujusmodi Ecclesiæ Orientalis ornamentum, doctrinam uti supra Catholicæ Ecclesiæ de æternitate pœnarum in inferno absolute et sine exceptione in suis operibus sustinere. « Illud etiam, sic ille habet, scire non alienum fuerit, quod quæ hominibus mors est, hoc angelis lapsus jam exstitisse. Post lapsus enim præclusa jam est illis omnis respiscendi facultas; QUEM ADMODUM ET HOMINIBUS POSTQUAM VITA MIGRANT, » lib. II, de fide Orthodoxa, cap. 41. Ex quo illud merito inferamus oportet, supradictam *Orationem* supposititiam esse, ac nullatenus Joanni Damasceno adjudicandam; ne hunc doctissimum Patrem sibi ipsi in suis scriptis repugnantem dicamus.

Sed liceat amplius falsitates quibus ea oratio scatet recensere. Asseritur ibi Orientem atque Occidentem in liberatione Trajani D. Gregorii precibus convenire; at id falsum est: quippe Joannes Diaconus hanc narrationem a Rom. Ecclesia improbatam satis aperte significat.

Uterius in antedicta *oratione*, et *alia* laudatur sub nomine S. Athanasii, cui titulus: De his qui e vita discesserunt; cum cæteris quin hæc oratio nullibi in S. Athan. operibus exstet, nec eandem (ipsum) edidisse ex ullo monumento constet. Laudatur etiam ibi sententia quædam S. Greg. Nysseno afficta, quæ in hujus Patris scriptis minime reperitur.

Neque nos reddere sollicitos debet quod hæc Trajani historia in Euchologium Græcorum irrepserit; siquidem Pseudodamasce-

num pro fabellæ ejusmodi insertione Euchologio causam occasionemque præbuisse, cuique facile conjicere fas est.

Minusque super revelationibus SS. Birgitæ et Mætilidis Trajani factum asserentibus immorari nos oportet. Enimvero omnes revelationes quæ privatis personis, quantumvis virtute et sanctitate fulgentibus, fiant, si in alicujus catholici dogmatis eversionem intendant, nullius auctoritatis ac momenti apud theologos esse debere, Natali Alexandro docente, Hist. Eccles. sæc. II, dissert. 1, affirmamus: *Alioquin Spiritus Sanctus secum ipse committeretur sibi que repugnaret*, quod absurdissimum est dicere.

Denique nec aliquid ponderis hujusmodi historiæ adicitur ex auctoritate divi Thomæ in hæc verba: « Dicendum quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ita gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a pœna: sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatrias et damnatos fuisse; de omnibus talibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem priorum meritorum justitiam: secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum. Vel dicendum secundum quosdam quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnæ æternæ absoluta; sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. » Supplem. 3, part. quæst. 71, artic. 5, ad 5: Siquidem sancti doctoris mens non fuit historiam liberationis Trajani ab inferis calculo suo probare; sed duntaxat, hac narratione posita, modum rite conciliativum ad illud factum expliandum proponere. Et cum de re historica agatur, nihil vetat a D. Thoma, si hanc narrationem uti veram habuisset, salva erga tantum virum reverentia, modeste recedere. — Tandem NEMINEM EX VET. SCRIPT. TRAJANI SUPRADICTUM FACINUS MEMORARE, ad hæc dissentionem auctorum in illius ab infer. liberatione referenda, vel in primis notasse sufficiat.

Quoad limbum puerorum, satius putamus hic afferre propositionem ex conventicula Pistoriensi (an. 1786) excerptam, atque damnatam a Pio Papa VI in constitut. *Auctorem fidei*, quo de Ecclesiæ, simulque de theologorum catholicorum doctrina magis magisque constet, tenoris sequentis.

26.

§ 29. — Doctrina quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum quem limbi puerorum nomine fideles passim designant, in quo animæ decedentium cum sola originali culpa, pœna damni citra pœnam igitur puniantur: perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis remonent inducerent locum illum et statum medium expertem culpæ et

pœnæ inter Regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani;

INFIDELITAS.

Signa protestativa infidelitatis hæc indicat Benedictus XIV, in suis decretis pro incolis regni Servie incip. *Inter omnigenas*, bulla 5, tom. I, n. 89, nomina turcica assumere, infidelium templa scilicet moschæas frequentare, jejuniorum dies per carniem esum profanare, ad effectum ut Mahometani credantur. Damnat etiam peccati illos qui ex hac vita emigraturi cadavera sua Turcarum sepulture demandarent cum istorum assistentia et mahometicis adhibitis ritibus.

ADDITIONES CASINENSES.

Inconcuessa est Angelici Doctoris doctrina, ab omnibus theologis recepta, infidelitatem pure negativam, cujusmodi est in iis qui

INFIRMITAS, INFIRMUS.

SUMMARIUM.

Quenam infirmitas, et quorum iudicio excuset ab auditione Sacri, ad n. 3. — 4. Et a recitatione horarum canonicarum, ad n. 18. — 19. Quæ sint observanda circa Viaticum infirmorum, ad n. 29. — 30. Infirmi, ac præsertim Fratres Minores, an

(1. Infirmitas quæ impedit egredi domo ad negotia magni momenti excusat ab obligatione audiendi missam. *Communis*, cum Suarez, Castropalao, Sanchez, Dicastillo, Gobat, et La Croix, l. III, p. 1, n. 678. (2. Imo Sanchez, Dicastill., Gobat, et La Croix cit. sic. n. 678, dicunt, quod quamvis infirmitas non impediatur exire ad aliqua negotia, atque infirmus valde afficitur, adhuc excusat ab auditione missæ, si alias adsit periculum subeundi gravis incommodi. Non enim tenetur infirmus statim audire missam, si hanc audiens cum repugnantia naturæ, alterari possit et pati grave incommodum. (3. An autem in hoc, vel illo casu valetudinis censeatur incommodum sufficienter grave ad excusandum ab auditione Sacri, stari potest iudicio medici, vel superioris, vel parochi, vel etiam proprio si infirmus ipse sit ita prudens ut possit per se ferre iudicium; Sanchez, Dicastill., Bonac., Gobat, cum La Croix loc. cit., num. 679, et alii passim.

(4. Infirmitas gravis ob quam infirmus nequit recitare divinum officium sine læsione suæ valetudinis, vel sine incommodo, vel incremento morbi, excusat a recitatione totali. *Communis*, arg. cap. *Clericus* 2, dist. 91.

(5. Non excusat tamen infirmitas levis, ut parvus dolor capitis, stomachi, vel pectoris, et interdum etiam levis febris tertiana, aut quartana, cum talis dolor aut febris non soleat tota die vehementer affligere, ita ut vacet tempus ad divinum officium recitandum. Navar. tom. IV, de orat., c. 11, n. 6, et in Manuali, cap. 25, n. 100; Sotus lib. x, de justitia, qu. 5, art. 3; Layman lib. IV, tract. 3, cap. 6; Donatus tom. IV prax. rerum Regul. quæst. 51, num. 1; Tabiena, Armilla,

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

nihil audierunt de fide, non esse peccatum. « Si autem infidelitas, sic ille, accipiat secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. » 2, 2 quæst. 10, art. 1. — Quamobrem inter Bani propositiones, hæc etiam merito per Summos Pontifices S. Pium V et Gregorium XIII damnata fuit, n. 68 recensita: *Infidelitas pure negativa in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

teneantur ad jejunium, ad n. 52. — 53. Episcopi, parochi, et canonici infirmi an, et quando dispensentur a residentia, vel distributiones lucrentur, ad n. 55. — 56. An peccet infirmus remedia sibi procurans, ac a medicis oblata respuens, etiamsi mortis periculo laboret. — 57. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 41.

et omnes summistæ in verb. *Horæ Canonicae*; Busemb. filiuc., et aliis citatis Bonacina de Horis, disp. 1, qu. 6, p. 1. (6. Infirmitas impediens infirmum ad recitandum, v. g., solum matutinum, non excusat ipsum a recitatione aliarum horarum quas recitare potest sine læsione suæ valetudinis. Est jam communis propter sequentem propositionem 5 in ordine inter merito damnatas ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, ibi: « Qui non potest recitare matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur quia major pars trahit ad se minorem. »

(7. In dubio an infirmitas sit gravis aut levis, et an infirmus seu convalescens possit sine gravi nocimento recitare totum officium aut partem, standum est iudicio medici, vel superioris, aut, in horum defectu, alterius viri prudentis: Silvester, Sotus, Sanchez, Donatus loc. cit., num. 2, aliique cum Pelliz., tom. I, tract. 5, c. 8, n. 115. (8. La Croix lib. IV, num. 1225, qui insuper cum Gobat addit posse infirmum stare etiam iudicio proprio, si sit ita prudens ut per se possit de talibus ferre iudicium. Si autem nec supradicti, nec infirmus ipse possint solvere dubium, sed adhuc illud permaneat, tunc non tenetur infirmus tale officium recitare, quia non tenetur se periculo gravis damni et nocimenti exponere; Donatus loc. cit., num. 3; Bonacina loc. cit., num. 5; Castropal. tract. 7, d. 2, p. 6, n. 12; La Croix loc. cit., num. 1225; Neusser, Stoz, et alii plures. (9. Nec valet cum aliis dicere quod in tali dubio teneatur infirmus officium recitare, ex quo præceptum recitandi sit in possessione, quia id non obstat ob adjunctum periculum gravis nocimenti, ad quod pia mater Ecclesia non videtur

obligare, quia in ejusmodi dubiis vix attingi potest punctum et status obligationis, unde ne scrupulis aperiatur via, ex quo talis infirmus non possit in tali dubio et perplexitate se expedire, cum sit æque periculum nocendi valetudini, quod illicitum est, quam transgrediendi præceptum recitandi officium; in tali casu consuetudo legem interpretatur, ut sic dubitans censeatur liber. Sic citati doctores et alii.

(10. Regulares infirmi, quando non possunt nec sciunt se determinare an licite possint totum vel partem officii divini omittere, satisfaciunt præcepto dicendo psalmos, hymnos, *Pater noster*, *Ave Maria*, et alia iudicio prælati, seu presidentis loci, aut conventus assignanda. Sic concessit Leo X Minoribus apud Casarubios in compendio Privilegiorum, verb. *Infirmi Fratres*, num. 6. Et ex concessione Martini V, et Eugenii IV, facta fratribus S. Hieronymi, regulares infirmi, senes, valetudinarii, aut alii invalidi, satisfaciunt præcepto divini officii recitando aliquos psalmos, vel id, quod superiores vel sui confessores assignaverint; Casarubios, loc. cit., num. 11 et 12.

(11. Regulares infirmi ex concessione facta Minoribus de Observantia a Mart. V, Eug. IV, Call. III, Pio II ac Xisto IV, consequuntur indulgentiam plenariam in articulo mortis: Casarubios, loc. cit., num. 1. (12. Regulares infirmi in suis infirmariis, cellis, et etiam lectulis (quando commode aliter dicere non possunt), possunt promereri indulgentias stationum et alias concessas in suis ecclesiis, dicendo quinque *Pater noster* et *Ave Maria*, pro intentione et proposito illius indulgentiæ. Sic concessit Innoc. VIII, apud Casarubios, loc. cit., num. 3. (13. Regulares infirmi ac senes in decrepita ætate constituti possunt lucrari indulgentias concessas dicentibus coronas D. N. Jesu Christi et Matris suæ, dicendo unum psalmum aut hymnum B. Virginis, aut Domini nostri. Sic concessit Leo X, apud Casarub. l. c., n. 5.

(14. Infirmi omnes qui ex recitatione divini officii versimiliter credunt aliquem dolorem capitis, aut aliquam crudelitatem stomachi, vel virium lassitudinem, aut etiam febrim tardius remissuram, excusantur a præcepto illud recitandi, quia hujusmodi damna, quæ in corporibus sanis sunt levia, in ægrotis sunt gravia. Ita Sanchez in consil., lib. v, cap. 2, d. 43, n. 4; Stoz lib.

(94) Quæ hic circa onus recitandi divinum officium afferuntur nimis laxa videntur. Consulatur igitur lector hoc loco P. Antoine aliosque saniores moralistas.

(95) Multa pronuntiat Lucius Ferraris a n. 14 ad num. 18, obligationem infirmorum recitandi divinum officium spectantia, quæ, meo quidem iudicio, a laxitate excusari nullatenus possunt. Quod autem majus negotium facessit illud est, quod, Diana, aliisque casuistis duobus, veluti probabile venditatur, nimirum illos qui aliqua infirmitate præpediti officium recitare nequeunt debitis horis, non teneri anticipare, vel supplere horas temporis respondentibus quo fuerunt infirmitate detenti. Hujus asserti absurditas per se constat. Certum enim est matutinis

1, part... num. 402; Tamburin. in Decalog. lib. II, cap. 5, § 8, a num. 13; La Croix lib. 4, n. 1224; Gobat, Pelliz, et alii, arg. cap. *Clericus* 2, dist. 91, ubi pro legitima causa non recitandi habetur inæqualitas corporis, quæ non sonat morbum gravem. (15. Imo supradicti doctores et alii cum Pelliz tom. I, tract. 5, cap. 8, n. 116, dicunt quod tales infirmi non teneantur adhuc ad recitationem divini officii, quamvis bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis causa legant; quia confabulationes ac lectiones illæ afferunt ægris recreationem, nec morbus ingravescit, sed potius levatur. Recitatio vero divini officii econtra est res seria, et ex sua natura caput gravat ac molestiam affert. (16. Item dum tales infirmi convalescunt, et adhuc vires sunt imbecilles, possunt ad aliquos dies differre recitationem, et aliquando etiam prius incipere celebrare quam recitare divinum officium. Gobat, in experient. tract. 5, num. 715; Stoz, loc. cit., num. 402; La Croix, loc. cit., num. 1224; Sanchez, et Tamburin. loc. cit. et alii plures (94).

(17. Qui ob infirmitatem non possunt Horas recitare debito tempore, possunt autem commode sine nocimento valetudinis recitare alio tempore ante, vel post, v. g. si post prandium laborant quartana, mane autem sint liberi, aut econtra, non excusantur a præcepto; sic Castropal. tract. 7, d. 2, part. VI, n. 6; Stoz, loc. cit., num. 409; Tamburin. lib. I, c. 3, § 7, verb. *Horæ canonicae*, num. 20; La Croix loc. cit., num. 1226; Pellizarius loc. cit., et alii. Et ratio est quia quod recitentur horæ hoc, vel illo tempore, est circumstantia accidentalitatis tantum; obligatio autem recitandi totum officium incipit a media nocte, et durat per singulas partes diei naturalis usque ad alteram mediam noctem. (18. Henriquez autem, Canus, Caramuel, et alii, volunt eos non teneri anticipare, vel postea supplere horas respondentibus illi tempori quo ægrotant; quia obligatio anticipandi vel supplendi videtur tunc tantum esse quando impedimentum est ex nostra libertate, non autem quando est ex necessitate, uti ex infirmitate, et hanc sententiam dicunt esse probabilem; Diana part. IV, tract. 4, res. 10; Lessius l. 3, cap. 37, n. 43. Sanchez loc. cit., d. 43, num. 7; Gobat loc. cit., num. 711; Sporer in Theolog. Sacramental. num. 172, et alii (95).

(19. Si infirmus sit communicandus, et recitandis nocturnum tempus esse assignatum: pone te sacerdotem privatam nunquam nocturno tempore assurgentem ut matutinum persolvas, nocte præterita aliquo laborasse incommodo, a quo, sole illucescente, perfecte convalescisti. Posita Ferraris sententia, teneberis quidem horas diurnas persolvere, quia nullo laboras valetudinis impedimento; minime vero nocturnas ob morbum a quo jam convalescisti, quantum si nullum pertulisses incommodum, diem expectasses ad matutinum recitandum. Imo nec prævenire teneberis, etsi prævideas morbum superventurum, quantum assuetus sis canonicas horas anticipare, puta, matutinum recitare vespere antedecenti, diurnas horas de mane, etc. Quid in hac re absurdius?